

gionum harum , quas postmodum Brutii habitarunt ; Romanorum Reipublicæ obeiebant . Græci tunc temporis omnes has provincias occupabant ; & quam exteri sermonis essent , nullam cum iisdem Latini commercium retinebant . Quod adeo verum est , ut Livius dec.1. lib.1. falsum judicaverit , quod alii pro comperto tradiderant , Numam scilicet Pompilium , secundum Romæ Regem , in sua adolescentia , Pythagoræ , qui tunc apud Crotonem docebat , auditorem fuisse . Et hoc vel ex eo præsertim , quod Numa altera a Pythagora lingua , sicut ex altera gente erat , & aliis moribus vivebat , alias leges observabat , uteretur . En Livii verba : *Inclita justitia , religioque , ea tempestate Numa Pompili erat . Curibus Sabinis habitabat consultissimus vir , ut in illa quisquam ætate esse poterat , omnis divini atque humani juris . Authorem doctrinæ ejus , qui a non extat alius , falso Samium Pythagoram edunt : quem Servio Tullio regnante Romæ , centum post annos & amplius , in ultima Italica ora , circa Metapontum , Heraclæaque , & Crotonem , juvenum æmulantium studia cœtus habuisse constat . Ex quibus locis , eisf ejusdem ætatis fuisset , quæ fama in Sabinos , aut quo lingue commercio , quenquam ad cupiditatem discendi excivisset ? Quo præsidio unus per tot gentes dissonas sermone moribusque pervenisset ?*

Quod si ad veteres Brutios Adversarii nos advo-
cant ; hos porro , dicemus , alienos omnino esse ab il-
lis , quos ipsi volunt , Brutianis , a Catone dictis , suc-
cessisse . Nemini dubium est , antiquos Brutios fuisse
Græcos , qui a Peucentinis , & ab Oenotriis , descende-
rant . Hos per totas fere Neapolitani regni provincias
dispersos , Scriptores narrant . Non ergo yetusti Brutii
fuerunt soli illi populi , qui has regiones nostras anti-
quo